

6640
5 G4
py 1

LIBRARY OF CONGRESS



0 003 090 157 5



PA 6640
.25 G4
Copy 1

640
5 G 4

DE
TEMPORUM RATIONE IN PLINII
EPISTULARUM IX LIBRIS OBSERVATA.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

DIE XXV. M. OCTOBRIS ANNO MDCCCLXXII
HORA XII ET DIMIDIA

PUBLICE DEFENDIT

GUIL. GEMOLL,
POMMERANUS.

OPPONENTIUM PARTES SUSCIPIENT:

ED. SCHMERWITZ, CAND. PHIL.

GODOFREDUS POHLE, CAND. HIST.

HALIS SAXONUM,
FORMIS PLOETZIANIS.

PA 6640
75GA

ADOLFO ZINZOWIO

GYMNASII PYRITIENSIS DIRECTORI

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.



Maximam doctorum virorum dissensionem Plinii praefatio (1, 1) excitavit, qua se epistulas „collegisse non servato temporis ordine, sed ut quaeque in manus venerat“ dixit, cum alii, in his praecipue Massonius¹⁾ et E. Cauvetius²⁾ animis lectorum intentum delectandis varietatem magis rerum quam temporum rationem Plinium secutum esse affirmarent, alii iisque pauciores, certa ordinis indicia invenisse sibi viderentur, quibus permoti haudquaquam in praefationis verba jurandum esse censerent, ut Panvinius et Tillemontius.³⁾ Neque adhuc lis dijudicata est, quamvis huic persuasioni patronus acie ingenii insignis obtigerit, dico Mommsenum;⁴⁾ illam contra novissime Stobbius⁵⁾ defendere suscepit, cuius disputationis haec fere est summa, esse carmen quartum tertii libri prius scriptum quam II, 11 et 12 h. e. falli eos, qui continuatum temporis ordinem a Plinianis epistulis repeterent. Evidem quae hac de re cognovisse mihi videor, infra explanabo. —

Quicunque doctam Mommseni tractationem attento animo perlegerit, non dubito, quin is sit adsensurus singulis Plinia-

¹⁾ C. Plinii Secundi vita ordine chronologico digesta Amstelod
1709.

²⁾ étude sur Pline le jeune Toulouse 1857.

³⁾ histoire des empereurs etc.

⁴⁾ Hermes III p. 31—139.

⁵⁾ Philologus 30.

narum epistularum libris certam, qua sese epistulae excipient, rationem inesse, cum persaepe insequentis materia epistulae ad praecedentem referatur, quod contrarium non potest probari. Quam judicandi normam quamquam libenter sequor, tamen in definiendis temporibus, quibus singuli sint editi libri, non omnes numeros mihi explevisse videtur Mommserus.

Praefationem, ne disquisitio nostra turbetur, nunc quidem omissam, quando opus erit, excutiemus. —

Primum librum anno p. Chr. n. 97 editum, quamquam aliqua ex parte jam a. 96 confectum esse Mommserus idecirco putavit, quod unicum temporis in licetum in 5 epistula perspexit §. 11 „convenit me Regulus in praetoris officio“, quod officium i. e. comitatus praetoris Calendis Januariis magistratum ineuntis nisi de anno 97 p. Chr. n. non potest intelligi, quoniam ex ep. Plinii IV, 22. 4 Mauricum, cuius in ep. I, 5 fit mentio, ab exilio reversum apparer imperatoris Nervae adhibitum esse mensae, Nerva autem jam a. d. XV Cal. Febr. anni 98 vita decepsit. Itaque Mauricus initio anni 97 rediisse putandus est non multo post scriptam hanc de qua agimus epistulam I 5, Sed ex hac certa temporis nota exorsi nos quidem in aliam seuentiam ibimus.

Epistulae 5 — 12 inter se cohaerentes anno 97 scriptae sunt! 6 — 9 ex Laurentino Plinii fundo originem duxerunt, id quod ex 9. 4 „postquam in Laurentino meo aut lego aut scribo“ colligas. Nam cum Plinius quotannis fere, uti moris tum erat Romanis ditioribus, in villam aut Laurentinam aut Tuscam aut patriam illam circa lacum Larium sitam secederet, complexus quasi efficiuntur epistularum, quibus et propositum secedendi et redditum in urbem et se ruri commorari nuntiat scriptor. Qui complexus quantum ad constituendum epistularum ordinem faciant, facile est intellectu. De tempore huius secessus consulenda est ep. 7. 4 qua „circa Idus Octobris“ se Romae futurum esse

Plinius sperat. Ep. autem 10 §. 11 „eum in urbem proxime
veneris“ Plinium reversum et „officio ut maximo sic molestissimo
districtum“ demonstrat, quod officium Mommsenus perbene ad
praefecturam aerarii militaris rettulit. Ep. 12 Corellium Rufum
decessisse nuntiatur, quem initio anni 97 occubuisse mortem
mibi non persuasit Mommsenus. Senatum enim, cui Corellius
interfuisse perhibetur ep IX, 13 6, anno 97 incipienti habitum
esse censuit doctus ille vir. Agebatur in eo senatu de Publico
Certo una cum Vettio Proculo aerarii Saturni praefecto; desi-
gnatos consules tum temporis eos fuisse ex IX, 13 23 sequitur
„collega Certi — intellige Vettium Proculum — consulatum
acepit“ et §. 11 „laceassis hominem jam praefectum aerarii et
brevi consulem“ scil Certum ipsum; sed ex Plinii, opinor,
accusatione Certum non admissum esse ad consulatus honorem
patet ex illa Plinii relatione §. 22 23 „optinui, quod intende-
ram: collega Certi consulatum, successorem Certus accepit.“
Jam Borghesius (Bull. 1842, 32) Gruteri inscriptione 1071, 4
nisus Vettium Proculum et P. Julium Lupum ultimo anni 97
nundino fasces gessisse contendit reluctante Mommseno, cui
annus 98 magis probatur. Incidit autem Mommsenus in erro-
rem atque a se ipso discessit, quod Vettium Proculum jam an-
no 97 des. consulem extremo demum anno 98 sumpsisse secu-
res statuit, ipse contra legem illam invenit, qua suffecti consu-
les mense januario eiusdem, quo munere fungebantur, anni in
comitiis renuntiabantur. Sine dubio igitur illa apud Gruterum
inscriptio ad decembrem anni 97 pertinet; quare senatus, quo
des. eos. Publicus Certus a Plinio in discrimen adducebatur,
propter illud IX, 13. 11 „praefectum aerarii et brevi consu-
le“ paulo ante ineundum consulatum, certe medio anno 97
habitus est. Si vero etiamtum vixit Corellius Rufus (cf. IX, 13.
6), initio ciusdem anni de exsequiis eius celebratis non poterat
Plinius Calestrium Tironem certiorem facere. Ideo jure ep. I,
12 ad finem anni 97 refertur, cum §. 8 „ut isti latroni (Do-
mitiano) vel uno die supersim“ non permittat, ut mortem Corelli
voluntariam ultra annum 97 proferamus.

Jam vero perlucidum est quam apte ep I 12 ad I, 10 accommodetur. Quis igitur nos reprehendat, si omnes epistulas inter 5 et 12 interpositas anno 97 vindicemus?

Alia contra epistularum inde a 13 usque ad finem primi libri sese excipientium mihi videtur esse conditio. Ipsa 13 non multo post mensem aprilem anni cuiusdam aperte scripta est propter §. 1 „toto mense aprilii nullus fere dies.“ §. 6 „possum jam repetere secessum“ pone tibi, quae oculos scriptorem ex urbe egressurum. In iis, quae subsequuntur, epistulis, non invenitur, quo ruri morari eum efficiatur. At 22, 11 „Laurentinum meum studiosumque otium repetam“ Catilio Severo amico in Laurentinum se extemplo migraturum esse afferit nuntium, causam simul commorationis in urbe longioris adiciens, quod Titius Aristo pertinaci valetudini implicitus fuerit. Evidem non dubito contendere cum propter silentium illud de agris in epp. 14—21 tum ob initium illud epistulae 22 „diu jam in urbe haereo et quidem attonitus“ Plinium dilato ex mense maio (cf. 13, 1 „toto mense aprilii“) in aliquanto posterius tempus rus commigrandi proposito Romae aegroto affuisse amico. Inde sequitur, cum epist 22 recte ad 13 referatur, ut de industria epp. 14—21 a. Plinio interpositae habeantur, sine dubio quia illo temporis spatio scriptae sunt. —

Epistula 23 Pompeio Falconi respondet Plinius interroganti, num in tribunatu causas agere deberet. Tribuni plebis cum e sexto saltem ab. u. c. saeculo, si non e decemviris imperio deiectis¹⁾ a. d. IV Idus decembres magistratum inire jussi essent, a. d. V. autem idus januarios — ex quo quidem summa rerum apud imperatores erat — una cum praetoribus ceterisque praeter consules ordinarios magistratibus designarentur, intervallum hoc inter januarium et decembrem menses ideo mihi legibus videtur esse constitutum, ut designati magistratus ante-

¹⁾ Mommsen Römische Staatsalterthümer p. 496.

quam munere fungerentur, de omnibus officiis penitus sese instruerent. Sed cur haec digressio? ut demonstrem illud Plinii ep. 23, 1 „te in tribunatu causas agere debere“ non ita esse interpretandum, quasi tribunus, sed designatus tribunus sese informandum tribunicio viro praebuerit. Ep. igitur 23 aliquantum temporis ante decembrem mensem scriptam esse jure mihi adsumo. Jam vero vides temporis progressum ex mense maio (ep. 13), ex illo ep. 22 initio „diu jam in urbe haereo,“ denique ex Falconis consultatione. —

Epistulae 2—4 anno 96 compositae sunt! Nam ep. 4 Pompeiae Celerinae socrui missa habenda est viva etiam tum filia, quae altera Plinii uxor erat, cum rarissime et carptim in posterioribus libris Celerinae fiat mentio, nulla vero omnino epistula post mortem uxoris a Plinio ei scripta exstet. Atqui decessisse Pompeiam uxorem ante senatum illum Publico Certo fatalem pernitiosumque, quem jam supra ad medium fere annum 97 revocavimus, Plinius aperte demonstrat ep. IX, 13. 13 „dicit Vettius Proculus uxoris meae, quam amiseram, vitricus“ et §. 4 „quamquam tum maxime tristis amissa nuper uxore.“ Ergo ep. I, 4 quoniam Plinii cum Celerina familiaritatem ex florente etiamtum Pompeiae uxoris valetudine explicandam prae se ferat, ad summum initio anni 97 vindicanda est. Jam vero haec ep. nisi de visitatione circa Celerinae fundos modo perfecta non intelligi potest. Quis autem brumae tempore in viis pervagetur? Nec Mommsenus ipse esse quasdam jam anno 96 epistulas negavit scriptas, quas ego has tres haberi volo. —

Tres igitur epistularum ordines inter se distare mihi videntur, 2—4, 5—12, 13—23, quos ego tribus insequentibus annis 96, 97, 98 attribuam, cum Mommsenus primum librum anno 97 editum maximaque ex parte scriptum quoque esse statuerit.

Ac primum quidem quicunque epistulam 10 cum 13 conferet, differre eas satis inveniet. ep. 10 „districtum officio ut

maximo sic molestissimo“ depingit se Plinius, ita ut ne dilecto quidem Euphrate philosopho, quantumvis cupiat, frui sibi liceat; contra ep. 13, 1 „magnum proventum poetarum annus hic attulit“ et §. 5 „equidem prope nemini defui“ gloriatur. Porro ut supra demonstravi, ep. 10 Plinium modo rure in urbem reversum, ep. 13 in Laurentinum properantem nobis ob oculos ponit, quae ipsa deliberatio, cum praefectus aerarii vel militaris vel Saturni vix bis in uno anno commeatum accepisset, secum fert, ut inter epistulas 10 et 13 novi anni initium statuamus.

Tum vero haud provocandum esse censeo ad praefationis illud „non servato temporis ordine;“ quis enim neget epistulis 5—12 et 13—23 duos inter se cohaerentes contineri complexus? quem porro fugiat permagnum inter epistulas 10 et 13 discri-
men? Equidem nullam cognosco causam, cur tali modo tempori-
ris ordo non tam non servatus quam inversus fuerit, ut abscissa
et divisa utraque pars tantum membrorum ordinem progressum-
que temporis exhibeat. Praeterea alicuius est momenti quod,
si ep 10 et 13 eiusdem anni 97 essent i. e. si Plinius in ultra-
que praefectus aerarii militaris esset, desiderares causam, qua
alio tempore eiusdem anni officiis districtum, alio paene otiosum
se descripsisset.

Qua argumentatione effecisse mihi videor epistulam 13 et quae sequuntur anno 98 esse tribuendas. De editionis tem-
pore totius libri et de praefationis aestimatione etiamnunc
sileo.

Secundum librum anno centesimo editum eique epi-
stulas ex anno 97 usque ad 100 inesse Mommsenus statuit.

Recte perspexit summus ille vir certissimum temporis indicium ep. 11 contineri, qua de Marii Prisci accusatione agi-
tur, §. 10 „princeps praesidebat: erat enim consul: ad hoc januarius mensis,“ quibus ex verbis perlucide sequitur epistulam 11 initio anni 100 esse scriptam. Accuratius Stobbius expo-

suit tertiam hanc de Mario Prisco actionem secundo mensis januarii senatu legitimo id est idibus fere januariis factam, „proximum senatum“ (11, 21) de quo ad Arrianum ep. 12 Plinius refert, calendis februariis verisimiliter habitum esse, qua de causa ep. 12 ut quae novissime esset scripta, februario mensi non posset non attribui.

Inde retrogresso cp. 9 sub finem anni cuiusdam (scil anni 99 ut infra exponam) composita mihi videtur esse ob vocem illam §. 1 „anxium me habet petitio Sexti Eruci mei“ (scil. tribunatus cf. §. 2 „pervenit ad ius tribunatum petendi“). Is enim postquam a Tiberio comitia a populo in senatum translata erant, creandorum magistratum erat modus, ut in curia a senatu designarentur, in campo Martio in comitiis renuntiantur; a. d. V idus jan. erat designatio, ut Mommsenus (Hermes III p. 94) ex Silvii fastis perbene collegit. Tamen non libere designandi senatui concessa erat potestas, sed imperatores partem aliquam designandorum magistratum notum est senatui proposuisse, quam principis suffragationem Sexto Erucio iam obtigisse commemorat Plinius §. 2 „meo suffragio pervenit ad ius tribunatum petendi“ et „vereor ne decepisse Caesarem videar.“ Iam consules et ordinarios et suffectos utpote „candidatos principis“ omnes ab imperatoribus per senatum designatos esse docuit Mommsenus, qua in re cum ordinarii iam mense decembri designarentur, quippe qui calendis januariis magistratum inirent, verisimile est imperatores non solum consules, sed ceterorum quoque magistratum candidatos principis senatui proposuisse mense decembri et simul omnes. Quod si negaveris, quo alio modo explices non solum Plinium §. 5 „amicos prensare, supplicare, ambire, domos stationesque circumire,“ sed etiam Apollinarem „obsecrare, ut aliquam oneris sui partem susciperet“ i. e. cum sine dubio foris versaretur, invitare, ut Romam veniret? quare statuamus inter suffragationem principis et designationem senatus aliquantum temporis intercessisse, certe initium anni esse intermittendum. — Quoniam

ep. II, 9 ad finem anni cuiusdam refertur, patet eam optime coniungi cum epistulis 11 et 12 ut quae initio anni 100 scriptae sint. Habes igitur, cur ep. II, 9 sub finem anni 99 originem duxisse supra contenderim.

Quae antecedit ep. 8 aestate eiusdem anni e manibus scriptoris prodiit. Caninio cui missa est illa ep., ad Larium lacum versanti non quidem se invidere dicit Plinius amoenitatem regionis et altissimum otium, sed tamen angitur „non idem sibi licere.“ Iam vero parum est credibile si Plinius hoc anno villam repetere potuisse, tali modo eum fuisse dicturum „quae sic concupisco, ut aegri vinum, balinea, fontes.“ De anno autem inde ratio constare potest, quod „artissimorum laqueorum“ — intellige praefecturam aerarii Saturni — fit mentio, quos Plinius „abrumpere, si solvere negatur“ in animo habet. Atqui praefecti aerarii Saturni per triennium munere fungi solebant; ergo Plinius quia una cum Cornuto Tertullo, ut ex panegyrici cap. 91 apparet, non multo post diem quintum a. id. jan. anni 98 a Nerva imperatore ad dignitatem illam erat proiectus, inepte anno 98 dicturus videtur fuisse „se artissimos laqueos abrumpere velle.“ Restat, ut aestate anni 99 hanc epistulam compositam esse putemus, quoniam prima anni 100 vestigia epistulis 11 et 12 inesse convenit inter viros doctos.

Ep. 7 anno 98 addicendam esse ingeniosa Mommseni disquisitio persuasit mihi; qua vero de causa non Traianum, sed Nervam Vestricio Spurinnae ut a senatu triumphalis statua decerneretur, auctorem fuisse putet, equidem non video. Multo verisimilius est cum Nerva jam a. d. XV cal. febr. anni 98 morte abreptus sit, Traianum ad pietatem suam probandam duci illi a patre in Germaniam inferiorem misso statuam ponit triumphalem jussisse.

De prima epistula certa ratio non constat Mommseno; ob publicum enim funus Virginii Rifi, tertium consulis anno 97

una cum imperatore Nerva vel ex fine anni 97 vel ex initio anni 98 fluxisse eam persuasum habuit; quod tamen vix statuisset, nisi Cornelii Taciti consulatum, „a quo laudatus est Verginius Rufus,” in ultimum anni 97 nundinum fixisset. Cum vero hanc opinionem supra contudisse mihi videar, Tacitum anno 97 ante Vettium Proculum et P. Iulium Lupum, quorum ultimi sunt menses, fasces gessisse statuendum est. Neque enim Nerva praetorium illum inde ex anno 88 virum a Domitiano solito diutius merito consulatus honore exclusum praeteriisse habendus est in designandis in annum 97 consulibus et ipse Plinius voce illa II, 1. 4 aditus mortis durior longiorque“ ac nuntiato Verginii timore §. 9 „ne forte inter quinqueviros crearetur“ probavit Rufum satis magnam anni 97 partem morti restitissee, ita ut hanc epistulam sub finem anni 97 scriptam esse pro certo affirmare non dubitem.

Epistulas 2—6 autem anno 98 tribuam, nam apte illud ep. 2 §. 3 „ipse ad villam partim studiis partim desidia fruor“ referas ad ep. 22 primi libri, qua se Laurentinum suum Plinius promittit esse repetitum. Ut enim supra demonstravi, ex ep. II, 8 Plinium anno 99 urbis negotia non commutasse altissimo eique adeo exoptato ruris otio apparet. Epistulae 3 §. 8 „proinde si non ob alia nosque ipsos, at certe ut hunc audias veni“ scriptorem rursus Romae officiis suis et Isaeo rhetori vacare est testimonio. —

Comprehendentes quae modo exposuimus, primi libri epp. 2—4 anno 96, 5—12 et II, 1 a. 97, I, 13—23 et II, 2—7 a. 98, 8—10 a. 99, 11 et 12 anno 100 tribuimus, ita ut usque ad II, 12 ordo temporis sola ep. II, 1 interruptus videatur.

Iam venio ad II, 13. Mommsenus quidem hanc epistulam non multo postquam Traianus rerum potitus esset, contendit esse scriptam perperam usus argumentatione, quod de vivo nemo loqui posset „quod quamquam parce et cum delectu daret“

§. 8, sed necessario „det.“ Nam si post mortuum Nervam scripta esset nostra ep., sane mirum esset, quod non a divo, sed ab optimo principe trium liberorum jus Voconio se impe-trasse Plinius in memoriam Prisco revocaret. Evidem ad Nervam *vivum* referendam esse illam „optimi principis“ mentionem censeo epistula ad Trai. 4 nisus, quae sine dubio, cum Plinius a Traiano petat, ut Voconium in amplissimum ordinem promoveat et iam Nervam commemoret hoc beneficium in illum conferendi consilium cepisse, initio anni 98 non multo postquam successerat Traianus patri, scripta est. Quodsi II, 13 post ep. ad Trai. 4 concepta esset, desiderares inter Plinii in Voconium merita (II, 13. 8), quod se condiscipulo et contubernali dignitatem senatoriam impetravisse gloriaretur. Contra non est cur offendamur in ep. ad Trai. 4 omissa juris trium liberorum, de quo agit II, 13. 8 mentione, quia „infima de plebe“ homines haud raro eodem jure donati sunt, velut Martialis poeta, qui II, 92

„natorum mihi jus III roganti
Musarum pretium dedit mearum“,

scripsit. Cum igitur ep II, 13 ante ep. ad Trai. 4 scripta sit, floruisse etiam tum Nervam patet, quare de anno 97 cogitare licet.

Idem fere cadit in ep. II, 20, qua Regulum Plinius oculos lectoribus ponit legata ex codicillis divitum hominum, adipiscendi professum artem semperque „aliquid ex novis tabulis sperantem“. Quae ars immo cum a dolo quovis fraudeque non abhorret, perniciosa pestis maxime Domitiano imperante irrepsit in rem publicam Romanam id quod permultis locis docuerunt Martialis et Juvenalis. Sed Regulum ex quo Traianus res publicas gubernaret, artem illam perrexisse exercere absurdum mihi videtur, cum quibus aliis memoretur Plinianarum epistularum locis, ridiculi eius mores velut IV, 2 et 7, nec vero ciusmodi facinora afferantur, imprimis autem quod VI, 2. 4 mortem Reguli nuntians adicit Plinius „nunc

sane poterat sine malo publico vivere sub eo principe, sub quo
nocere non poterat". De Nerva ambigi potest; quamquam
enim I, 5. 1 scriptor noster „vidistine quemquam M. Regulo
timidiorem, humiliorem post Domitiani mortem?" quaerit ex
amico, tamen senem jam illum notum est non satis firmum
fuisse in flagitiis reprimendis, id quod Parthenii „sacri cubi-
culi praepositi" nefaria per praetorianos trucidatio abunde pro-
bat. Quare ep. II, 20 sub initio Nerviani imperii scriptam
esse statuo. — Praetera me altera deliberatio, ut ita censem,
movet. Non enim credo Plinium postquam Traianus in
imperium successerit, eiusmodi verbis civitatem fuisse incre-
pitatum non sine quadam imperatoris accusatione „in qua
jam pridem praemia nequitia et improbitas habent" (II, 20.
12), cum in panegyreci c. 85 seqq. Traianum non modo civi-
um, sed servorum quoque moribus auctorem fuisse emendan-
dis diserte exponat. Quam gratiarum actionem Plinio con-
suli anno 100 a senatu iniunctam esse quis est quin sciat?
Nonne haec vox similis est clarissimae illi Taciteae „omnem
bonam artem in exilium esse depulsam", qua extremum Domi-
tiani imperium describitur? Sed satis habeo demonstrasse epi-
stulam II, 20 non posse sub Traiani imperio esse scriptam. —
Addo quod quae inter ep. 13 et 20 interjectae sunt epp., im-
primis 17 ideo conjunctae esse videntur cum iis, de quibus supra
egimus, ut certus quidam epistularum numerus efficiatur, quae
opinio Stobbio quoque probatur, fortasse ut secundus liber pri-
mo adaequetur.

Persuasum enim habeo de duabus primis libris una norma
esse diiudicandum, quod parvo temporis spatio interposito editi
sint, ita ut praefationem primi libri Plinius scripserit secun-
dum aequum librum propediem edendum respiciens.

Ac primum quidem quam rationem Mommsenus et qui
ante eum Plinianis epistulis operam dederunt, indagando et
constituendo tempori, quo sint editi singuli libri, adhibuerunt,
evidem non omnibus numeris perfectam absolutamque judico.

Nam quamquam novissimam requirendo epistulam terminum post quem in publicum datus sit quisque liber, necesse est invenias, tamen quin identidem in errores incidas, facere vix possis. Velut si temporum notis confisus primum librum anno 98, secundum a. C. editum esse ponas, falli mihi videris. Qui ita censem, non possunt exponere, cur eius modi praefationem Plinius primo libro ante posuerit, qua „se non servato temporis ordine epistulas collegisse“ confiteatur; sive enim ad solum primum sive ad omnes libros ea verba referas, utique de primo praecipue dicta esse adsentieris. At in eundem primum librum ea non valere supra exposui nec Mommsenus negat, quippe qui omnino non disseruerit quid de praefatione censeat. In ultimam contra secundi libri partem cadit illud, „ut quaeque in manus venerat“, non quidem in primam, quam non interruptum prae se ferre temporis ordinem causis probavi. Hac potissimum observatione adducor, ut praefationem non ad primum solum librum compositam esse putem, sed ad duos primos, nego vero ad omnes simul IX, quod non solum quicunque tum temporis opera sua publici juris faciebant, per libros singulos emittere solebant, id quod Martialis epigrammaton libri saepe cum carminibus dedicatoriis editi satis probant, sed quia Plinium quoque epistulae IX, 19 cum VI, 10 comparatione, cum altera alteri amico scripta sit, efficitur certe sextum ante nonum librum edidisse. Praeterea ceteri non eiusmodi sunt libri, a quibus temporis ordinem abhorrere jure contendatur, ut infra explanare meum erit. Praefationem igitur ad duos primos restringendam esse libros judicari volo. Tamen ep II, 1 exeunte anno 97 scripta interrupit connexum inter primum librum et secundum, sed de hac epistula dictum esse puto illud I, 1. 2 „eas quae adhuc neglectae jacent, requiram“, qua ex re colligitur non eodem tempore simul in publicum prodiisse eos, sed primum illico exceptum esse a secundo contendam. Statuo igitur primum sub fine anni 99, secundum initio anni 100 editum esse, quod si Plinio aliae epistulae ac II, 11 et 12 ex anno 100 suppetiissent, vix completorias illas II, 13—20 reliquis adjecisset.

Ne vero mira cuiquam videatur mea conjectura Plinium editioni primi libri praefationem adjecisse, quae ad secundum accommodanda esset, quasi priorem *unius operis* particulam alteri subsequenti praemisisset, fac, quaeso, memineris qualis it duorum primorum Martialis epigrammaton conditio librorum neque equidem dubito, quin aliquanto mirior, quamquam haud dissimilis tibi videatur res secundum omnino librum primi antecessisse publicationi, id quod patet ex sub juncto epigrammate II, 93.

„Primus ubi est inquis, cum sit liber iste secundus?“

III.

De tertio libro duas Mommseni et Stobpii opiniones sibi oppositas esse video, quarum mihi neutra penitus probatur. Stobpii argumentationem ut magna ex parte perversam primum refellere suscipiam.

Accusationem illam Caecilii Classici, qui pro consule Baeticam provinciam administraverat eodem anno quo Marius Priscus Africam, ex Calendis Juniis anni 98, quae fere omnium doctorum virorum est consensio, usque ad Calendas Junias anni 99, Stobbius (*Philol.* 30), putat anno 99 non multo post primam actionem Idibus Sextilibus de Mario Prisco habitam a Plinio esse susceptam atque aestate anni 100 priusquam fasces consul gerere coepisset, peractam, cum contra Mommensus alteram Marii Prisci causam anno 100 alteram Caecilii Classici a 101 egisse Plinium arbitretur. Cui opinioni probandae a Stobbio hae fere causae allatae sunt.

Primum si Classicus Calendis Juniis a 99 a proconsulatu sese abdicavit, cur provinciales nominis delationem in annum 101 distulerint, non satis liquere. Tum esse, quod mireris Plinium per quadriennium in officio praefecti aerarii Saturni retentum esse. Deinde si epistulae ad Traianum 8 et 9 anno 101 scriptae habeantur, abrumpi connexum temporis epistularum 1 — 10. Denique inter III, 4 et III, 9 quibus suscepisse se Baeticorum in Classicum patrocinium et perorasse actionem Plinius nuntiat, tantum interesse temporis,

ut necessario III, 9 initio anni 102 composita judicetur, quod tamen ne cogitari quidem possit.

Ego quoque confiteor mirum fore, si Classicum non multo post Marium Priscum anno 99 accusatum ejusque causam per biennium dilatam esse constaret; post biennium demum movisse in eum Baeticos accusationem non miror. Alia enim Baeticorum atque Afrorum erat conditio, ut Plinius ep III, 9. 4 ipse indicat: „Marium una civitas publice multique privati reum peregerunt, in Classicum tota provincia incubuit“. Quantum temporis censes praeteriisse pruisquam totius provinciae conjunctio in proconsulem et de accusationis ratione consensio efficeretur? per quantas ambages quantamque rerum motilitionem Baeticos consecutos esse ut § 6 „simul socios ministrosque Classici deferrent nominatimque in eos inquisitionem postularent“?

Porro quem fugiat epistulae III, 4 lectorem studium illud atque ingens Baeticorum legatorum nisus Plinium adipiscendi patronum? Nonne elucet ex § 2, „advocatum me a senatu petierunt“, § 4 „implorantes fidem meam, quam essent contra Massam Baebium experti, adlegantes patrocinii foedus“? Atqui illa nominis apud senatum delatio septembri quodam mense facta est, ut ex ep. ad Trai. 8 et III, 4 constat; jam vero annus 99 propter impedimenta ista accusationis, quae supra enucleavi, omittendus videtur; de anno C. autem nullo pacto potest cogitari, cum Plinus per septembrem certe mensem, utut de quaestione illa utrum Plinii tempore trimestres an bimestres fuerint consulatus non ordinarii, statuitur, Romae fasces gesserit, itaque neque in septembrem mensem (cf. ad Trai. 8. 3) commeatum petere neque in commeatu Baeticorum patrocinium suscipere potuerit. Ergo relictum vides ut septembri anni 101 mense Baeticos Plinium petiisse patronum statuamus.

De altera Stobpii causa, quod praefectura aerarii Saturni Plinio per quadriennium prorogata offendit se posuit, nihil ha-

beo quod dicam, cum id praeiudicatam redolere videatur opinionem. Sed ad tertiam conversus, quid de epistularum ad Trai 3—10 ordine censem, jam explanabo. Omnes has epp. a 99 esse scriptas Stobbio persuasum erat, quod ep 3 sine dubio, ep 10 verisimiliter, atque idcirco etiam quae interjectae sunt 4—9, a. 99 tribuerentur. Sed ex 10 § 2, „obviam iturus, quo maturius, domine, exoptatissimi adventus tui gautio frui possim“ non magis quam ex Martialis X, 7.

„Nympharum pater amniumque Rhene —
Traianum — urbi remittas

sequitur, ut hanc epistulam et hoc epigramma a. 99 vindicemus. Evidem non video, quomodo Plinio certior quam Martiali nuntius de Traiani reditu afferri potuerit. Ne tamen Stobbio concedam, ep 10 eodem quo 8 anno conceptam esse i. e. in commeatu Plinium imperatori obviam profectum esse, obstat quod ep III, 4 Plinius se „accepto ut praefectum aerarii, commeatu in Tuscos excucurrisse“ commemorat, de conventu autem cum Traiano aut jam facto aut futuro ne mentionem quidem facit Deinde quod potissimum est, epistulae 5, 6, 7, 10 de „gravissima valetudine“ agunt, qua Plinius „proximo anno“ usque ad periculum vitae vexatus erat; quem annum facile ex VIII, 3 „primum mea, deinde patris tui valetudine retentus“ cum Nerva a. d. XV Cal. febr. a. 98 mortuus sit, colligas. Nego enim illum proximum annum aliter ac de unius anni spatio praeterito i. e. de anno 97 intelligi debere, quo duximus unusquisque solam veritatem sequens ep 5, 6, 7, 10 in annum 98 transferet. Epp igitur 8 et 9 Mommsenus recte ex III, 4. 8 „si munere hoc jam tertio fungerer“ anno 101 addixit neque infitiari possumus re vera temporis ordinem his duabus epistulis abrumpi, quod cum vix Plinius ipse epistulas ad Traianum scriptas in ordinem redegerit, non est cur mirum.

Quarto loco coarguere conabor, quae Stobbius de ep. III, 4 et III, 9 disseruit. Tantum temporis inter has epistulas

intermittendum esse putat doctus ille vir, ut ep III, 9 si III. 4 anno 101 extremo scripta sit, incipienti anno 102 jure vindicetur; esse enim III, 4 quasi introductionem et praelusionem epistulae III, 9, quam ob rem ipse cum de Classico actionem medio a 100 factam esse persuasum habeat, ep III, 4 anno 99, III, 9 a C tribuit. Jam vero Stobbius fugere non potuit quoniam secundus liber anno C editus est, quin III, 4 prius quam II, 11 et 12 scriptam esse statuat, qua re omnis epistularum ordo tollitur penitusque invertitur. Audacius certe quam prudentius egit Stobbius cum ne simile quidem exemplum afferre posset; habes igitur, cur III, 4 praelusionem ad III, 9 nominarit; profecto creditit ad animos in accusationem Classici praeparandos ep. 4 opus fuisse, quae ep. in earum fuerit numero, de quibus Plinius I, 1 „eas quae adhuc neglectae jacent, requiram“ locutus sit. Sed haudquaquam mihi III, 4 praeludio videtur esse. Quae enim epistulae III, 4 insunt, aequa ep. III, 9 continentur ac multo copiosius: Classici mores III, 9. 2 ita depinguntur „homo foedus et aperte malus, proconsulatum non minus violenter, quam sordide gesserat“; cum ep III, 4 Plinius satis habeat dicere „questuri de proconsulatu Classici“; de Classici morte III, 4. 7 haec usurpatur vox; „quod decesserat Classicus“, contra III, 9. 7 „fuit mors eius infamis et ambigua“ atque alia. Idcirco haud bene III, 4 introductio vel praefatio nominatur. Quis vero est, quin utriusque epistulae naturam indolemque diversam et paene oppositam esse intelligat, cum III, 4 Plinius quibus rebus ad causam Baeticorum suscipiendam motus sit, aperte indicet § 9, „audisti consilii mei motus; III, 9 alii amico scripta ac III, 4 „quantum in publica provinciae Baeticae causa laboris exhauserit“ expeditat. Utraque epistula ut ita dicam, est quasi „causa sui“ nec potest de praefatione cogitari. Praeterea ne perlongo quidem temporis intervallo distant, cum accusatio Classici ejusque sociorum tribus diebus, sed una actione ad finem perducta sit, Stobbius autem ipse (p 381—92) accusationem Marii Prisci Calendis Juliis, primam actionem Idibus Sextilibus po-

nat id est post quinquaginta fere dies, quantum temporis Cicero ad accusationem in Verrem praeparandam adhibuit. Ideo non dubito utramque epistulam anno 101 servare.

Nam ut hoc unum adjiciam ad epistulas III, 4 et III, 9 a Stobbii nimia sagacitate defendendas, etiamsi ep. ad. Trai. 3—10, ep. III, 4. a. 99, III, 9 a. C. scripta esset et Classicus a. 100 damnatus, a 99 accusatus esset, vix credere equidem possem Plinium alteram agere causam animum induxisse, cum ut prima Marii Prisci finita esset, tantum abesset, ut mense decembri anni 99 ne altera quidem actione absolveretur. In quo quaeso tibi ob oculos ponas Plinium haud desissemus praefecti aerarii officiis fungi, quibus solis alias „districtum“ esse queritur.

Ped jam dudum liquere arbitror Stobbii errorem, in quo ne longior fuerim redargendo valde vereor.

In explicando epistularum III libri ordine exordium ponam ab ep. 15, quam ut suppositam ducam cum Stobbio, impetrare a me non possum et quod modo verbosius forte, at certe non sine veritatis lumine III, 4 (sc. ex Stobbii sententia aequo „requisitam“) illustravi et quia omnino rationem illam „neglectas epistulas“ iis „quas addiderit“ Plinius, fuse miscendi jungen-dique velut III, 5. 6. 12. 5. 16 ex neglectis requisitas Stobbius haberi voluit, sequi probareque haud sustineo. Ex ep. 15 autem 1 „rogas, ut aliquid subsicivi temporis studiis meis substraham“ et „petis, ut libellos tuos in secessu legam“ colligo Plinium officiis praefecturae aerarii liberatum studiis rursus penitus sese dedisse in secessu id e. in villa aliqua, quo sensu Plinio vox illa II, 17, 29 usurpatur „justisne de causis jam tibi videor incolere, inhabitare, diligere secessum“ et 1, 13. 6 „possum jam repetere secessum.“ Nisi de tempore ante praefecturam utramque quoniam commcatus mentio deest, cogitare mavis, aestatem anni 102 statuere mecum praeferas. Inde sequitur, ut epistulam 18, cum Plinius in urbem reversum sese praebeat §. 4 „nunquam valde vacat Romae aut

commodum est audire recitantem“ in autumnum anni 102 transferamus, quamquam ob memoratam illam gratiarum actionem, quam „spatiosius et uberioris Plinius volumine amplexus erat“ hanc ep. aequae ac III, 13 anno 101 scriptam esse Mommsenus et Stobbius consenserunt. Sed non idem in III, 18, quod in III, 13 valere contendit; altera enim epistula III, 18. 4 „recitasse se hunc librum amicis“ et §. 11 „habes mea acta tridui“ Plinius nuntiat, non vero una cum hac epistula mittit Panegyricum, ut Stobbius p. 393 sibi assumpsit; altera III, 13, 1 „librum, quo consul gratias egerit“ mittit exigenti Voconio Romano, quam quidem epistulam imprimis ob illud „quo nuper optimo principi consul gratias egi“ non possum a. 101 non attribuere. Quo autem anno melius quam 102 postquam modo omnibus officiis liber factus erat, recitasset Plinius illud „spatiosius et uberioris volumen“ praesertim cum permultis exemplis (cf. VII, 17. 7 „deinde duobus aut tribus lego, mox aliis tradō ad notanda, novissime pluribus recito“) prius eum singularum amicorum de iis, quae composuerat, sententiam audisse, tum pluribus librum recitasse constet. Iure igitur statuere videor, epistulas 15 usque ad 18 anno 102, quae ante sunt positae, anno 101 scriptas esse.

Ep. 20 Mommsenus et Stobbius aequae atque editionem totius III libri a. 101 vindicaverunt, sed quotienscunque §. 2 „at nunc in senatu hoc idem ut optimum placuit: omnes comitiorum die tabellas postulaverunt“ mecum reproto, facere non possum, quin post comitiorum diem hanc epistulam conceptam esse censeam. De comitiorum autem die ambigi potest, utrum consulum ordinarium, quae sub fine praecedentis anni habebantur, an reliquorum magistratum comitia nuncupata sint, quae initio anni fiebant. Sed si argumento quod dicitur, ex silentio uti licet, equidem quia „consularium“ comitiorum non adjecit Plinius mentionem, de iis quae mense Januario pro omnibus fere designatis fiebant magistratibus exponi illa epistula contendit. Quo efficitur, ut epistulas 20 et 21 innitio anni 103 scriptas esse putas. Sane Mommsenus quidem (Hermes III

Anhang) cum ultimus Martialis liber XII januario mense anni 101 editus sit, vita quoque eodem anno poetam potuisse decedere statuit, sed vix statuisset, nisi totum librum III Plinianarum epistularum in cuius ep. 21 Martialis mors nuntiatur, a. 101 editum esse persuasum habuisset. Jam Stobbius a 102 XII epigrammatum librum a Martiali compositum esse argumentatus est; sed etiamsi Mommseni editionis in annum 101 transpositio constaret, tamen cum poeta „contumacissimam triennii desidiam“ (praef. lib. XII), excuset, ideo quod praeter XII librum nullum ingenii monumentum exstat, eum a. 101 id est post editum librum XII mortuum esse nullo modo colligi debet. Pono igitur ep. 20 et 21 initio anni 103 scriptas ac tertium librum anno 103 incipienti editum esse.

Cum vero inter II et III epistularum librum triennii fere spatium intermissum sit, jure supra contendisse videor, praefationem ad solos I et II librum aptari posse.

Quartum librum initio anni 105 editum esse perbene Mommsenus argumentatus est ex Licinii Nepotis praetoris ep. 29, 2 commemoratione, qui ep. V, 13 una cum Afranio Dextro consule designato nominatur; Dexter autem et C. Julius Bassus inscriptioni 6887 in Henzeni collatione a. d. III Jd. Maias a 105 conceptae consules scil suffecti subsignati sunt, ita ut Nepos, cum initio anni 105 Dexter des. cos. fuerit, Calendis Januariis a. 105 praetoris munere fungi coepерit sit necesse. Ep. IV, 29 igitur primis anni 105 mensibus scripta est.

Inde retrogressi in ep. 25 paulisper morabimur. „Proxima illa comitia“ de quibus §. 1 loquitur scriptor, recte referas ad januarium anni 105 quo fit, ut quae post 25 sequuntur epistulae eas anno 105 vindices, quae antecedunt, a. 104. Ad quas jam animum advertimus illustrandas. IV, 1 Fabato pro socero se una cum uxore Comum venturum esse Plinius pollitus „jam sarcinulas alligari“ ac profectionem quam maxime properari scripsit; IV, 13 „ipse pauculis adhuc diebus in Tusculano (vel secundum Mommseni perlucidam emendationem

„in Tuscis“) commorabor“ jam Romam reversurum, ep. 22, 1 „principis optimi cognitioni consilioque“ adhibitum esse se scil. postquam in urbem redierit, certiores nos facit. Quod iter ut anno 101 vel potius 102 susceptum esse credas fortasse III, 6. 6 voce illa movearis „destino enim si tamen officii ratio permiserit, excurrere isto“ et §. 4 verum ut in patria nostra celebri loco ponerem,“ scil. Corinthium signum; sed ex dato promisso cave colligas Plinium stetisse quoque promisso. Contra illam Comum profectionem non prius quam a. 104 evenisse ex ep. 30 quarti libri verisimiliter colligam; num enim nisi modo Plinius rediisset in urbem, dicturum eum censes fuisse 30, 1 „attuli tibi ex patria mea pro munusculo quaestionem dignissimam!“ Jam vero quia ep. 30 post 25—29 posita est, ipsam quoque a. 105 scriptam esse liquet, ita ut universae IV libri epistulae haud magno temporis spatio disjunctae esse videantur. Non enim sine consilio prima et 30 epistula, quibus de proposito Comum secedendi et de suo Romam redditu Plinius agit, in suo loco collocatae sunt et si ullus alias IX librorum, quartus aperte solus publici juris factus est, quia ob intimam, quae eo continentur, epistularum conjunctionem alterius libri in publicando communionem vix tulisset.

Quod igitur iter illud, cuius continua commemoratione IV liber quasi vinculo colligatur et continetur, a. 104 susceptum esse conjicio, minime falli videor, quamquam nolim putes Plinium insecum esse primam epistulam dimissam aut cursoris, cuius erat mandatam tradere Fabato epistulam, vestigia presisse. Nam Julio Basso, qui ex Bithyniae administratione reus redierat, Plinius advocatus, ut ep. 9 reperimus, opem tulit „totius defensionis fundamenta jacere“ jussus; quam epistulam quominus post inceptam jam profectionem esse scriptam censemus, obstat, quod §. 1 „causam per hos dies dixit Julius Bassus offendimur verbis. Quare Plinius aliquantis per distulisse videtur iter cum femina perficiendum, ut omnibus liberatus officiis curisque suorum familiaritate atque usu frui posset.

Nec non cum ep. 12 de Egnatio Marcellino quaestorio viro referat, etiamtum Romae moratus esse debet putari ob illam §. 4 expressionem „tu lauda Marrellinum ut ego statim feci“ id e praesens. Tamen ullam in annum 103 epistulam esse promovendam mecum neget, quicumque non aliena esse a vero concedet, quae supra de conditione epistularum 1, 13, 30 exposui. Ita diiudicari posse video, quae Mommsenus in suspenso reliquit, utrum a. 103 an 104 acceperit Plinius auguratum et Bassus causam dixerit, cum epistulae quoque 4, 8, 9 nisi de a. 104 recte non possint intelligi.

Quintum librum a. 106 editum esse statuit Mommsenus.

Certissimum temporis indicium Licinii Nepotis praetoris in V, 4. 2 9. 3 13. 1 et Afranii Dextri designati consulis offeratur mentione, quem mense maio a. 105 fasces gessisse inscriptione illa apud Henzenum supra citata confirmatur. Unde sequitur V, 4 et 9 anno 105, 13 autem aliquantum temporis ante mensem maium a. 105 conceptas esse. Jam videamus si quae aliae temporis notae libro V insunt, nu[m]cum illis quas certissimas cognovimus consentiant.

Ac primum verba illa (V, 6. 1) „cum audisses me aestate Tuscos meos petiturum“ non video quo pacto suspicionem movere possint, quamquam ne eiusmodi descriptionibus decipiamur est quod caveamus. Nam narratio illa de itinere in Tuscos et Comum suscepto (ep. 14) vix melius potuit praeparari quam mentione hac „cum audisses me aestate Tuscos petiturum.“ Quod ad ipsam ep. 14 attinet, iterato Comum itinere duobus insequentibus annis forte quis offendatur, ita ut cuinam sit tribuenda anno, in dubium vocet. Sed Plinii conditionem penitus mutatam esse ipsa ep. 14 abunde demonstrat §. 9 „includor angustiis commeatus“ et „officii mei admoneor;“ mandatum autem ei officium par erat, ut ipse §. 2 docet, „Aemiliae viae curae“ Cornuto familiarissimo commissae, quam ob rem recte ex inscriptione illa de Plinio nota „curam alvei Tiberis et riparum et cloacarum urbis“ Mommsenus attulit. Jam quum ep. 14 adiuncta sit decimae tertiae, de qua supra egi, aliam temporis significationem taedet circumspicere. Ex societate autem Plinii et Cornuti Tertulli in magistratibus gerendis, qui non modo in praefectura aerari, sed etiam in consulatu collegae fuerant, sequi videtur, ut Plinius non multo antequam Tertullus Aemiliae viae curam acciperet, curam illam alvei Tiberis administrare cooperit i. e. fere ineunte a. 105.

Quia vero ep. 14 exeunte quidem, tamen non jam praeterito commeatu scripta est (cf. §. 9 cum in urbem rediero) ep. 18 cum 14 licet connectere ob §. 2 „ego in Tuscis et venor et studeo? — De novi anni initio nihil invenio in his posterioribus epistulis, quare totum V librum a. 105 conceptum esse spero niminem fore qui addubitet. Cur vero exeunte anno 105 non editus quoque debeat esse, profiteor me non intelligere; caveas tantum, ne quia uno anno publicati sunt liber IV et V, una publicatione editos esse eos statuas, quam in sententiam quominus quisquam incidat digressione illa de IV libri proprietate prohibere volui. —

Sextum librum a. 106 compositum esse ex indignatione Plini (10, 3) „Verginii Rifi post decimum mortis annum reliquias neglectumque cinerem sine titulo jacere“ pro comperto habuit Mommセンス, cum ille vir aperte a. 97 morte abruptus sit (cf. II, 1).

Antequam ipse num Mommセンス sententia obtinere possit perpendam, placet exponere in universum VI libri epistulas a temporis ordine non abhorrere. Ep. 6 cum 8 optime congruit de Julio Nasone candidato, ep. 20 aperte initio „litteris, quas exigenti tibi de morte avunculi mei scripsi“ refertur ad 16 cuius tale est exordium „petis, ut tibi avunculi mei exitum scribam;“ denique ep. 27, 1 Severum videmus reputantem, quid des. cos. in honorem principis ex secundo bello Dacico brevi reversuri „censeat“ ep. 31, 1 Plinius obviam profectum se esse imperatori nuntiat „evocatum in consilium a Caesare nostro ad Centum Cellas, quo Traianum confirmatur jam appropinquare ad urbis vicinitatem.

Quibus expositis quis est quin recuset suspicionem ne Plinius VI librum composuerit „ut quaeque ei epistula in manus venerit.“ Sed jam ad singula aggrediamur explicanda.

Primam epistulam facile quis a. 105 extremo attribuat ob illud „quam diu ego trans Padum tu in Piceno“ et „postquam ego in urbe, tu adhuc in Piceno“ et quod amico per jocum minatur, „se illuc, unde inconsulte properarit, reversu-

rum, "quibus verbis sine dubio significatur iter illud Plinii - a 105 Comum susceptum. Quarta vero ep. cum voce illa, „nunquam sum magis de occupationibus meis questus“ fieri non posse doleat scriptor, ut Calpurniam valetudinis causa in Campaniam proficiscentem prosecutatur, aestate quadam scripta est. De anno ipse judicabis ep. 9 cum 19 comparans. Nam ex iis, quae jam identidem de magistratum illo quidem tempore de signatione et de Plinii pro amicis candidatis ambitione attigi, mihi adsumo epp. 6 et 9 sub finem anni cuiusdam esse scriptas; jam „proximorum comitiorum“ (§. 1) mentione ep. 19 post januarium quendam mensem editam esse patet, ita ut inter VI, 6 et 19 novi anni initium incidat, quamvis extemplo post proxima illa comitia epistulam 19 originem duxisse nolim putas, quia hoc loco non ut III, 20, 1 et IV, 24, 1 de comitiorum eventu Plinius refert. sed de amitus lege certiore faciens amicum casu quasi et occasione data proximorum meminit comitiorum. Si vero quis temporis ordinem adeo inversum esse credit. ut ep. 19 epistulis 6 et 9 anteponendo omnes VI libri epp. uni vindicet anno, summe ab eo peto, ut quae supra de universo huius libri ordine demonstravi, recordari velit. Itaque cum Licinius Nepos, qui a. 105 fuerat praetor, VI, 5. 1 senatorem aperte se gerat, quo certe annus 106 indicatur, inter „epp. 9 et 19 anni 107 initium statuo.

Sed quaeritur, utrum inde ex ep. 10 an ex ep. 11 annum 107 incipiamus i. e. utrum decimum illum mortis Verginii Rufi annum 106 an 107 abitremur habendum. Jam vox illa „post decimum mortis annum“ quoniam de peracto decimo intelligendum est, ad initium undecimi refertur h. e. anni 107 cum Virginius a. 97 extremo mortuus sit.

Una ep. 23 difficultates parere posset, si de novo Comum itinere in § 2 „navigabam per Larium nostrum“ cogitandum esset. Sed patet Plinium non de redditu ex itinere referre, sed de obscuritate factorum quorundam immerita queri adhibito illo exemplo. Idcirco haud jure haec ep. anno 107 abdicetur.

Sequitur, ut liber VI a. 107 sit editus et ut Traianus, id quod a. Mommseno video relictum in medio, a. 107 ex secundo bello Dacico Romam redierit, cum ep. 13. 2 adhuc absens prohibeatur „sunt ausi etiam absenti principi criminari,” 22. 5 autem et 31. 1 „fecisse pulcherime“ dicatur scil. haud procul ab urbe morans.

Septimum librum jure a. 107 addixit Mommsenus; nam neque ulla omnino novi anni in eo libro invenitur nota et secundum temporis rationem dispositas esse has epistulas nemo possit infitiari. — De Vareni quidem accusatione continuo ordine agunt epp. 6 et 10; de Saturnini et Prisci mutuo amore 7 et 8; de Plinii „hereditariis agris“ Corelliae venditis epp. 11 et 14; de Calestro Tirone proconsule Baeticam per Ticinum petituro et de eius cum Fabato Mediolani conloquio epp. 16. 23. 32. Imprimis autem quibus de ipso Plinio certiores fiunt lectores epistulis, eas chronologice digestas esse plane patet. Adhuc eum curam alvei Tiberis et riparum et cloacarum urbis administrare ex ep. 21 colligas, qua Cornutum Tertuleum, quem a. 105 accepisse Aemiliae viae curam V, 14. 1 nuntiavit, „pareo collega carissime“ adloquitur. Jam consideremus epistulas, quibus de morbo suo Plinius agit. Ep. 21 „tecto vehiculo inclusum“ postquam infirmitatem oculorum contraxerit, in villam aliquam eum secessisse et stilo lectionibusque quamquam difficulter abstinere docemur; ex ep. 25 §. 3 „hunc ego, invitatus hospitio, intuebar“ appetet convalescentem non recusare amicorum visitationes vicinorum; ep. 27, 1 et sibi „discendi et Surae familiari docendi facultatem otium praebere“ scribit, ita ut lucem jam rursus ferre, id quod ep. 21, 2 spes tantum et exspectatio pollicebatur eventurum, videatur posse; ep. autem 30, 2. 3 in secessum quoque persecui urbana negotia rusticisque auribus suis „post longum tempus“ abuti queritur, quibus verbis certe sequitur Plinium firma rursus valetudine frui. Praeterea ep. 29, 2 „est via Tiburtina intra primum lapidem monimentum Pallantis,“ quam in partem Plinius ad valetudinem firmandam iter converterit, cognoscimus. Patet igitur

temporis ordinem in VII libro haud desiderari ac quoniam versi anni non admonemur, eidem, cui VI anno VII quoque liber sed extremo est addicendus; anno 107. Communem VI et VII libri editionem si quis statuat, neque adsentiar nec negem, quia fundamenta eiusmodi sententiae video deesse nec praejudicio cuiusdam speciem concedam veritatis. —

Jam transeo ad octavum librum, qui quo tempore in publicum sit datus, aegre potest definiri, cum ne ep. 23 quidem, quam propter Junii Aviti mortem attulit Mommsenus, nisi aliis fulta adminiculis ad annum editionis constituendum sit accommodata. Is enim Junius Avitus quamquam sine dubio idem judicandus est, qui in testamento Dasumii nominatur Junius Avitus tamen quo anno vita decesserit, haud facile patet cum de Hadriano et Prisco quibus consulibus factum est testamentum utrum aestate anni 108 an 109 fasces gesserint, valde dissentiant viri docti. Quapropter omissa ep. 23 ipsi experiamur, quibus aliis notis VIII libri tempus definiri possit.

Ac primum quidem Julii mensis invenio mentionem in ep. 21 §. 2 „Julio mense, positis ante lectos cathedris amicos collocavi.“ Tum jam inde a 2 usque ad 17 ep. autumnum statuam; vindemias enim vendiderat Plinius 2. 1, sed spes fecelit; 15. 1 „scripseras graciles istic vindemias esse, §. 2 „eadem ex meis agellis nuntiantur; ep. 16. 1 „num istic quoque inmite et turbidum caelum? hic adsiduae tempestates et crebra diluvia. Quem ordinem inter epp. 2 et 15 continuatum Saturnaliorum (7, 1) mentione non patiar interrumpi, quoniam aperte jocatur scriptor se adhuc dies extendere feriatos, quorum velut exemplum affert Saturnalia, quamquam Tacitus ut magister libro misso discipulum in scholam vocet. Quare nihil obstat, quin inde ex VIII, 2—17 unum annum extendamus atque alteri opponamus, cuius primum inest vestigium ep. 21 §. 2 illud „Julio mense.“ At de anno ipso potest ambigi; quaestionem video propositam, num a. 107, quo VI jam et VII librum edidit Plinius, has quoque epp. VIII, 1—17 scriptas esse putemus. Iter vero, quod „commodo se explicuisse“ VIII, 1. 1

Septicio nuntiat, praeter quam quod „quidam ex suis adversam valetudinem ferventissimis aestibus contraxerint“ minime idem est habendum quo infirmitatis oculorum causa via Tiburtina (cf. VII, 28. 2) in inferiores Italiae partes secesserat, cum ex VIII, 8. 1 „Vidistine aliquando Clitumnum ontem? quem ego proxime vidi“ cum in Tuscos excucurrisse recte conjiciamus. Sed si a. 108 illam in Tuscos profectionem censeamus susceptam, sane mirum est, quod Plinius exordium VIII libri ab autumno anni 108 petit, pariter ac quod versi et proiecti anni inter finem libri VII et initium VIII non exstat ullum vestigium, immo quod ne rediisse quidem ex secessu a. 107 Plinium cognoscas. Itaque probatur mihi opinio scriptorem illud de quo agit VIII, 1 iter a. 107 exeunte non ex urbe, sed ex alio in alium confecisse secessum, ut jam VII, 25. 3 „hunc invitatus hospitio, intuebar“ non recusasse eum repperimus, quin amicorum praedia peteret. Quodsi in Laurentino suo ac fundis familiarium circa positis ex oculorum infirmitate convalluerat, jam in Tuscos properare eum statuemus, quo efficitur, ut ep. VIII, 9. 1 „adeo multa me negotia amicorum nec secedere nec studere patiuntur“ post redditum in urbem scripta sit.

Ex quo autem ep. annum 108 incipias, non differt, verisimiliter ex ep. 20, qua §. 4 „pervenisse eum ad lacum nomine Vadimonis“ patet — Ep. 24 Plinius admonet Maximum ut „se missum esse in provinciam Achaiam, illam veram et meram Graeciam“ cogitet, quae adhortatio quoniam Calendis Junii proconsulibus inire magistratum tunc quidem moris erat initio proconsulatus i. e. aestate anni 108 data videtur.

Sequitur, ut medio a. 108 liber VIII editus sit

De nono libro nou constat Mommseno opinio, quia ne a. 109 editum putet impediri dicit ep. 5. qua admonet Plinius Calestrium Tironem ut perseveret „justitiam suam provincialibus multa humanitate commendare.“ Fungitur igitur adhuc Tiro proconsulatu Baeticae. Quem cum autumno anni 107 ex VII libro cognoverimus per Italianam superiorem in Baeticam esse profectum, sub finem eius anni advenisse in provinciam suam statue-

mus quamquam jam Calendis Juniis a. 107 succedere debuit in proconsulatum gerendum quoniam in VII, 32. 1 appellatur proconsul. Jam vero sua sponte vix tamdiu profectionem tardasset, quoniam etiamtum promagistratibus ex administrandis provinciis multa commoda obtingebant ac plerique quaestui provinciales habebant, id quod tot tantaeque in eos actiones repetundarum declarant. Quodsi calendis Juniis anni 108 successorem accepisset, justi temporis aliqua parte fraudatus videtur fuisse, quare aestate anni 108 scriptam esse ep. 5 pono Tirone etiam post Calendas Junias adhuc proconsule.

Extendo autem annum 108 usque ad IX, 28 propter gracilitatem vindemiarum, de qua non solum in illa ep. §. 2 Plinius queritur, sed etiam 16. 2 et 20. 2. Aestatem quidem eius anni in Tuscis eum moratum esse epp. 10. 25 indicant, cum 10. 2 aprorum esse penuriam dicat, itaque Minervae serviendum „ut in secessu et aestate“ et 15. 1 se refugisse in Tuscos et undique rusticorum libellis inquietari tradat, cui voici adjungas illud ep. 16. 2 „devehimus pro novo musto novos versiculos“ et 20. 2 „degusto de lacu mustum.“ Sed ex ep. 25. 3 „nunc me rerum actus modice destringit“ rediisse Plinium ad negotia urbana colligo.

Cum igitur primae jam noni libri epistulae ad aestatem autumnumque anni 108 pertineant, minus commode videtur agere, qui ep 36 illud „quaeris quemadmodum in Tuscisdiem aestate disponam“ ad eundem annum 108 referat. Quae ordinis inversio haud quaquam ipso nono confirmatur libro, cum contra ep. 21 et 23 aequa ac 36 et 40 temporis pateat rationem esse habitam. Itaque inter epp. 28 et 36 anni 109 statuo initium, in quem annum confero Paulini consulatum (ep. 37).

Anno igitur 109 editus est liber IX.

Jam breviter strictimque quaestionem attingam a Momm seno propositam, num VIII et IX liber una sint editi. Sane ex altero libro in alterum perductus et continuatus est temporis ordo, sed hoc criterium omnino nullum videtur, quia inde a VI usque ad IX librum idem observavimus. Si vero quis qua-

tuor hos libros simul in publicum datos esse contendat, mirum quantum videtur errare, quoniam ex IX 11 „quod aliquid ad te scribi volebas, quod libris inseri posset“ satis magnum jam extare librorum numerum probatur atque ex IX, 19. 1 „significas legisse te in quadam mea epistula (VI, 10) jussisse Verginium Rufum“ VI quidem librum satis manifestum est eo tempore jam editum fuisse, cum utraque ep. suo utatur, cui missa sit, amico. Itaque deinceps quidem et uno tenore, sed non simul prodiisse in lucem inde a. III usque ad IX epistularum libros jure contendo.

VITA.

Natus sum Pyritiae in mediocri Pomeranorum urbe die XXI. mensis novembris anni p. Chr. n. 1850 patre Alberto Julio, matre Carlotta; fide imbutus sum evangelica. Post mortem patris improvisam avunculus Eduardus Lehmannus educandum me suscepit ac magna liberalitate usque ad hoc tempus mihi praebuit, unde litterarum studium exercere possem.

Elementa litterarum primis labris gustavi in Pyritiensi gymnasio, cuius fui civis inde ab anno 1860 exeunte usque ad annum 1869 directore Adolfo Zinzowio, cui me magnopere esse obligatum libenter profiteor. Tum maturitatis testimonio instructus Berolinum ut philologiae operam navarem, me contuli atque ibi per ter sex menses viros clarissimos audivi: Th. Mommsenum, E. Curtium, J. G. Droysenum, M. Hauptium, A. Kirchhoffium, C. Muellenhoffium, H. Steinthalium, A. Trendelenburgium, donec armorum strepitus a Francogallis a. 1870 excitus quieta studia academica in exilium depulit. Ego quoque eo tempore patriae oppugnatae me obtuli et inde a Calendis Septembribus usque ad sollennem praetorianorum in caput Berolinum introitum in Gallia permansi. Brevi post ex exercitu dimissus denuo studium in litteras contuli ac consecutus sum, ut philologicis Huebneri exercitationibus, Muellenhoffi germanicis, Hasselii et imprimis Mommseni historicis adesse mihi liceret. Quibus viris grates hoc loco ago debitas.



0 003 090 157 5

Theses.

I.

Apud Livium II, 8. 6 enuntiatum illud: „Publicola ad Veientium bellum profectus“ redolet interpolationem.

II.

Versus Propertii IV, 8 (ed. Haupt) et 12 ordine esse mutandos existimo.

III.

Vegetium engriridio aliquo rei militaris usum esse ex iis, quae identidem de Catonis libris de re militari affert, probatur.

IV.

Errat Stobbius (philol. 26) dedicationem equestris statuae Domitiani partem fecisse Dacici triumphi atque eclogam Statii Silv. I, 1 de Equo Maximo Domitiani post hunc triumphum scriptam esse statuens.

V.

Perperam Peter hist. rom. III, 2 p. 125 contendit Domitianum contra Marcomanos eodem tempore bellum gessisse, quo bellum Dacicum renovatum sit: annis 88 et 89.

LIBRARY OF CONGRESS



0 003 090 157 5



LIBRARY OF CONGRESS



0 003 090 157 5

